

Secunda questio est de eo, quem canis furens morsu in pede laceravit, ob cuius remedium quidam ei nescienti dederunt iecur eiusdem canis ad manducandum, quasi sanus inde fieri posset. Ubi humanus error delicti noxam peperit in his, qui volentes sanum mederi uim⁴³ medicinae nescierunt, sunt ergo huiusmodi ab hoc errore corrigendi, ne ultra tale facinus perpetrent et pro facto quod commiserunt aliqua disciplina uel ieiunio corripiendi, ut ceteri metum habentes tale scelus post haec committere⁴⁴ non praesumant.

Tertia quaestio de eo fuit, qui cani feminae inrationabiliter se commiscuit; et quarta de illo, qui cum uaccis saepius fornicatus est: quid de huiusmodi hominibus iudicandum sit et de huiusmodi animantibus et partu earum faciendum. Ubi dementia humanae mentis et miseria patet, maxima eoque detestabilis est illud factum, quo scelus in eo apparet maximum⁴⁵, cum animal rationale contra naturam inrationabili per libidinem⁴⁶ se commiscet animanti. In lege ergo⁴⁷ dominus tale crimen iudicio mortis puniendum esse decreuit ita dicens: 'Qui cum iumento et pecore coierit, morte moriatur; pecus quoque occidite. Mulier, quae subcubuerit cuilibet iumento, simul interficiatur cum eo; sanguis eorum sit super eos.' (Lev. 20, 15-6) Sed si aliquis quaerendum putat, quomodo sit reum pecus, cum sit inrationale nec ullomodo legis capax, intellegat inde pecora iussa interfici, quia tali flagitio contaminata indignam replicant facti memoriam neque humano usui digna, ubi abominatio claret maxima. Sacri autem canones de eis, qui fornicantur⁴⁸ inrationabiliter, id est commiscetur⁴⁹ pecoribus aut cum masculis polluantur, ita precipiunt, ut^b, *quotquot ante uicesimum annum tale crimen commiserint*⁵⁰, *quindecim annis exactis in paenitentia communionem mereantur orationum. Deinde quinquennio in hac communionem perdurantes, tunc demum oblationis sacramenta contingant. Discutiatur autem et uita eorum, qualis tempore penitudinis extiterit, et ita misericordiam consequantur. Quod si inexplēbilit̄ aesere*⁵¹ *criminibus ad agendam paenitentiam prolixius tempus insumant. Quotquot autem peracta xx annorum aetate*⁵², *et uxores habentes hoc peccato prolapsi sunt, xxv annis penitudinem gerentes in communionem suscipiantur orationum. In qua quinquennio perdurantes, tunc demum oblationis sacramenta percipiant. Quod si qui et uxores habentes et transcendentēs quinquagesimum annum aetatis ita deliquerint, ad exitum uitae communionis gratiam consequantur.'*

b) Concilium Ancyritanum c. 15, hg. von TURNER, Ecclesiae (wie Anm. 29) S. 93-99.

43) ui corr. ex in T.

44) corr. ex presumere T.

45) quod scelus in eo apparet maximum in margine T.

46) libidino T.

47) autem B.

48) corr. ex qui fornicatur [sic] de eis T.

49) commiscetur se T.

50) corr. ex commiserit B.

51) his hesere T.

52) aetate annorum T.